



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

N.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

NAUFRAGIVM.

NAUFRAGIO amissa in mari, quæ nec sunt piratarum, nec infidelium, tenetur restituere, qui ex eis aliqua sibi accepit, quâuis illa aliâs perirent, nisi ipse acciperet. Non tamen tenetur, si exponat se periculo mortis, ut seruet ea. Sed in hoc casu tenetur etiam restituere, si dominus sperabat se alia via recuperaturum illa bona. cap. 17. num. 98.

Sed intellige hîc de piratis, aut infidelibus, cum quibus est nobis bellum iustum, non de Christianis piraticam exercentibus, de quibus hîc non est Sermo. ibidem. additum in Nouo.

Res à piratis quibusuis raptæ, debent restitui suis dominis, si cognoscantur. Quamuis de raptis, aut receptis ab hostibus iustis, & postea recuperatis, distinguatur in quibusdam legibus. ibidem. §. 4.

Qui capit aliquid amissum in mari, potest sibi retinere illud tribus concurrentibus. I. Quòd illud omnino erat perditum, si non saluasset ipse. II. Quòd dominus perdiderit spem recuperandi. III. Quòd saluans illud, maximo vitæ periculo ob id se obiecerit. ibidem. §. 5.

P p Illud

Illud dictum generale, Quòd, res alienæ ubicumque reperiat, est domino restituenda, non est perpetuò verum. Fallit enim. I. Cùm iusta causa suadet contrarium. II. In re vsu capta. III. In re pro derelicta habita. IV. In re clam accepta pro legali debito. Vnde in casu naufragij iusta causa sibi retinendi haberi videtur, quando Dominus satis præsumitur illam amissa habuisse pro derelictis. ibidem. additum in Nouo.

Non tenetur restituere qui in naufragio capit habita pro derelictis. Pro derelicto censetur *id quod dominus deserit, credens, quod licet recuperari posset sine probabili periculo vitæ, nullus tamen id subibit.*

Non tamen habetur pro derelicto quod mittitur in mare ad leuandam nauim tempore procellæ. cap. 17. num. 99.

Sicut vsucapio iustificat acquisitionem rei alienæ, ne incerta sint rerum dominia, ita & acceptum in naufragio, ne omnino pereat, iustificat causam retinendi, & non restituendi illud, dummodo adiungas huius titulo, spem recuperandi amissam, præsumptionem derelictionis, periculum magnum accipientis, prouidentiam diuinam tali ex insperato recuperanti concessam. ibidem.

Peius est vt res omnino pereat, quam vt eius dominium sit incertum. ibidem.

NECESSITAS. Existenti in extrema necessitate, aliquando tenetur homo succurrere, etiam cum periculo proprio. cap. 11. num. 13. vide, tit. Eleemosyna.

Extremè indigenti quoad spiritualia quid facere debeamus vide.

Extremè indigens non enetur restituere, etiam si creditor extremè indigeat, nisi dominium rei restituendæ semper remanserit penes creditorem. cap. 17. nu. 60.

Qui extremè indigens accipit aliquid, vt se liberaret ab illa necessitate, tenetur restituere, quando venerit in pinguiorem fortunam. Nam accipiens rem in extrema necessitate, non fit Dominus. num. 61.

Necessitas facit omnia communia, id est, communicanda. Et sufficit mutuare indigenti. nu. 62.

Qui absque extrema necessitate accipit aliquid ad comedendum, vel vestiendum, peccat mort. & tenetur restituere. cap. 17. num. 118.

Peccat mortal. qui sine necessitate extrema occultè accipit res superuacaneas alterius, vt sibi vel alteri subueniat, numero 119.

Qui aliter non potest subuenire extre-

mè indigenti, potest accipere ab alia tertia persona, tenetur tamen restituere regulariter loquendo. num. 118.

Extremè indigentibus excommunicatis, imò & infidelibus, oportet vendere necessaria ad sustentationem. cap. 21. num. 23. Et tenetur homo eisdem indigentibus extremè, subuenire, imò & non indigentibus extremè sed tantum valde. cap. 27. num. 56. Quæ sit extrema necessitas, vide tit. Elee. mosyna. lit. I.

NECROMANTIAM addiscens, vel ea utens, peccat mort. & nolens comburere libros huius facultatis, nō est absolendus. cap. 12. nu. 28.

NEGOTIVM restituere tenetur negotiorum gestor, qui damnificavit alterum in vtilitatem sui principalis. vide Restitutio. I I.

Negotiorum gestor, qui rebus, vel loco, vel tempore, vel persona, vel pacto exclusus negotiatus fuerit, iactura eius periculo erit, qui contra pactum fecit. cap. 17. num. 259.

Vtrum qui promisit negotium se gratis acturum, possit clam recipere pretium pro stipendio, colligitur pars negativa ex cap. 23. nu. 97.

NEOPHYTVS, id est, recenter conversus, non debet ordinari. Neophytus non est
idem

idem qui vulgo dicitur nouus Christianus.
cap. 27. nu. 205.

NOTARIVS vide Tabellio.

NOTORIVM dicitur quod est manifestum per sententiam, vel confessionem in iure, vel per eidentiam facti, qua nulla terciuersatione celari potest, & non aliud, quamuis duobus, tribus, vel pluribus testibus probari possit. cap. 21. nu. 55. & cap. 25. num. 73. illud autem dicitur notorium in vicinia, vel collegio, quod scit euidenter maior pars viciniae, vel collegij, dummodo saltem decem inueniantur in eo. itaque non sufficit quod id sciât pauciores quam sex homines: nec ij sufficiunt, quando non sunt maior pars viciniae, vel collegij. cap. 25. num. 73. & cap. 27. num. 250. dict. 10.

NUMERVS

PECCATORVM, necessariò est interrogandus, & necessariò confitendus. cap. 5. nu. 2. Nec sufficit confiteri sepe peccasse. cap. 6. num. 13. 14.

Si verò numerum non confiteatur propter obliuionem prouenientem ex culpa lata, confessio est nulla. cap. 6. nu. 14.

Pp 3 Sufficit

Sufficit, vt confiteatur statum suum, qui multitudinem peccatorum numerare nequit, sicut meretrix, vel saltem durationem temporis. nu. 15.

Numerus peccatorum multiplicatur quando quis eodem impetu dicit facere diuersa peccata. No. cap. 6. nu. 18.

Toties augetur numerus peccatorum, quoties voluntas peccandi, quæ fuerat intermissa, renouatur: secus est in actibus exterioribus. cap. 6. num. 16.

Non multiplicatur numerus peccatorum, etiamsi durante opere exteriori, multoties interior voluntas interrumpatur, ac renouetur: nec è contra, si manente eadem voluntate opus multiplicetur, exterius prius quàm finiatur delictum. cap. 6. nu. 18. 16. Nec multiplicantur quamuis multiplicentur actus exteriores, & interiores, qui tantum sunt veluti via ad vnicum peccatum. nu. 16. Secus si per se sint peccata separata in Nou. nu. 17.

Nec etiam multiplicatur per actus consequentes, & subsequentes. Quando inter præambula, & consequentia, & actum principalem non est notabilis interruptio. Quod si sit aliqua notabilis interruptio, licet sint diuersa peccata etiam in genere moris, non tamen sunt necessariò confitenda. additum

O B E D I E N T I A. 599

in Nou. cap. 6. nu. 18. coroll. 1.

Multiplacatur tamen numerus per secundam copulam, etiam si sit propinqua primæ. ibid.

Consumēs integram diem ad perpetrandum homicidium, facit vnum numero peccatum. cap. 6. nu. 15. cap. 15. nu. 4.

Qui per multum temporis insequitur feminam, qua non potitur, toties committit peccata distincta numero, quoties interruptit malam volūtatem cessando ab opere exteriori in illum malum finem ordinato, & iterum reuertitur ad illud. cap. 6. nu. 18.

NOVITIVS. vide, Religiosus.

O B E D I E N T I A.

Obedientia est duplex, Specialis & Generalis. *Specialis, est virtus inclinans ad faciendum ea qua iubentur, eo principaliter, quod iubentur.* cap. 23. nu. 35.

Generalis verò cōprehendit omnes omnium virtutum actus, quibus fit quod iubetur. cap. 23. nu. 35.

Obedientia in dubio excusat à peccato. cap. 17. nu. 201.

Præceptum Prælati sufficit fieri verbis claris vel obscuris, id satis significantibus.

Pp 4 cap.